



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Prudentia Et Cæteris In Confessario requisitis ad ritè  
fructuoséque Diuini ministerij sui munera obeunda,  
Tractatvs**

**Regnault, Valère**

**Lvgdvni, 1611**

Cap. XIV. De prudentia in erudiendo rudi in fide, ac nesciente viam salutis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41341**

## CAPVT XIII.

*De prudentia in erudiendo rudi in fide, ac  
nesciente viam salutis.*

## S V M M A R I V M.

1. Declaratio mysterij sacrosanctæ Trinitatis accom-  
modatè ad captum rudiorum. 2. Similis declaratio  
mysterij incarnationis. 3. Propositio aliorum mysterio-  
rum in symbolo Apostolico expressorum. 4. Ratio  
qua ab Ecclesia inculcantur eadem mysteria. 5. Via  
salutis posita in adimplerione diuina voluntatis, & uni-  
uersè quid Deus velit à nobis. 6. Vitanda ad tenen-  
dam viam salutis. 7. Detrimeta accepta per pec-  
catum commissum recedendo à via salutis, cum ratio-  
ne eareparandi.

**V**M editus iussu Concilij Trident. Ca-  
techismus ad Parochos, sufficienter ea  
suppeditet quæ huc spectare possunt: si-  
ue quoad res, de quibus erudire oportet,  
siue quoad modum erudiendi: contenti erimus  
attingere familiarem modum agendi cum nonnul-  
lis adeo rudibus, vt de principiis fidei, in ipsa etiam  
Confessione doceri debeant, vt absolutionis Sacra-  
mentalibus bene capaces censeantur: quod aduerte-  
re, in eoque pœnitentem suum iuuare accommo-  
datè ad ipsius captum, est magistralis prudentiæ  
Confessarij: sicut & nescientem informare, de via  
salutis: quod vtrumque, qua ratione paucis fieri  
possit, sequitur tradendum.

*Modus*

Catechif-  
mus Conci-  
lij Triden-  
tini lauda-  
tur.

## SECTIO PRIOR.

<sup>r.</sup> **H**ic modus potest esse ille, quem attigit Iacobus à Graphiis in lib. I. decisionū aurearum, ut declaretur, quid sibi velit quòd formemus signi crucis ducta manu à capite ad imum pectus, deinde à sinistro humero ad dextrum dicentes: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Hæc enim verba indicat sacrosanctæ Trinitatis mysterium, ad quod recolendum, institutus est in Ecclesia dies Dominicus: in eoque consistit (ex articulo primo symboli Apostolici) quòd Deus totius mundi conditor, & rector, supremusque Dominus, ex quo toti pendemus, vnicus sit quidem in sua natura diuina, trinus tamen sit in personis suis diuinis; sicut figura triangularis vna est in sua natura, & trina in tribus angulis in quibus consistit, atque primam earum personarum à nullo alio habentem originem, nomine Patris significari, secundam verò habentem originem à patre, significari nomine filij: & deum tertiam à Patre, filioque simul habentem originem, significari nomine Spiritus sancti, neque eam differentiam originis obstare, quominus sit vnus Deus, cum omnium trium vna eademque sit diuinitas; duratione, omni que perfectione in finem: ita vt Pater sit persona alia à Filio, & Spiritu sancto, sit tamen alius Deus: sed vnus & idem; adeo vt vnus in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda sit quòd simpliciter credere; nec vexare se in inquisitione modi, quo id fieri possit: monendus est pater.

Dominicus dies institutus in Ecclesia ad recolendum mysterium adorandissimæ Trinitatis.

In sacrosancta Trinitate est vnus Deus, & tres personæ. Ex Symbolo S. Athanasij.

In sacrosancta Trinitate est vnus Deus, & tres personæ. Ex Symbolo S. Athanasij.

tens,  
cator

Pr

signifi

nis M

sed S

homi

ria v

Apos

cu pa

corpo

confi

steriu

Dei i

qua i

litu d

comp

eum a

rio, v

tens

N

stea p

& in c

est sep

nea in

donec

cælu

paren

dita e

die in

teram

est iu

ram

tens.

tens, ne volēs sapere plusquam oportet, factus scruator maiestatis, opprimatur à gloria b.

Productio verò manus à capite ad imum pectus, 2. significat descensum filij Dei in sanctissimæ Virginis Mariæ uterum: seu ipsum, non quidem hominis, sed Spiritus sancti operatione conceptum esse, & hominem factum in ipso beatissimæ Virginis Mariæ utero: prout declaratur per secundum Symboli Apostolici articulum: ita vt simul sit *verus Deus*, sicut pater ipseus aternus: & *verus homo ex anima & corpore constans*: sicut tēporalis mater ipsius in quo consistit alterum nostræ religionis præcipuum mysterium, quod dicimus incarnationis; quia est filij Dei incarnati per humanæ naturæ assumptionem: quæ incarnatio vtcumque adumbrari potest similitudine, qua filius Dei assumens naturam humanā comparetur regi, qui in throno sedens aliquem in eum ad se assumeret secum seclurum, de quo mysterio, vt de præcedenti simpliciter credendo, pœnitens monendus est.

Natus autem ex eadem Virgine in stabulo, postea passus est sub Iudice Pontio Pilato, crucifixus, & in cruce mortuus; ac mortui corpus mandatum est sepulturæ, & anima descendit ad loca subterranea in quibus animæ iustorum commorabantur, donec per eandem Christi mortem aperiretur eis cælum, quod per peccatum Adami primi omnium parentis, erat clausum. Tertia die autem anima redita corpori rediit ad vitam, & quadragesimo post die in cælum ascendit: vbi gloriosus sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis; vnde & venturus est iudicare omnes homines, constitutis ad dexteram iis qui bona egerunt, & decesserunt in Dei gra-

Christi incarnatio, qui verus Deus & verus homo est: perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens, Græcè, *τίλειος θεός, και τέλειος άνθρωπος, εκ ψυχής λογικής, και ανθρώπινης σαρκός ύφιστάμενος.* A. than. in Symb.

T

igit Iaco  
earum  
us signi  
us, detu  
In nomi  
im verbo  
ad quod  
Domini  
symboli  
dior, &  
i pende  
a, trim  
ra trian  
ribus an  
rum pec  
nomine  
m origi  
num ter  
inem, h  
eam dif  
vntem  
lit diti  
nira: m  
cto, m  
ovt v  
anda f  
in quili  
st pœnit  
rens

Crucis signū formātes cur à sinistro humero ad dextrū manū referamus.

Ecclesia quæ sit in Symbolo.

tia; & ad sinistram iis qui mala egerunt, & decesserunt in peccato mortali, vt in illos sententiā æternæ salutis, & in hos sententiā æternæ perditionis proferat. Iam quod formantes signum crucis manū à sinistro humero ad dextrum reducimus, significat causam assumptæ naturæ humanæ à filio Dei esse, vt à sinistra sua ad dextram, id est, à statu damnationis, ad statum salutis hominem transferret, iuxta illud ad Rom. 4. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*; siue vt passione sua pro peccatis nostris Deo satisfacere, & sua resurrectione excitaret nos spe futuræ beatitudinis ad studium sanctitatis morum, per quam Deo placentes consequeremur æternam salutem. In quem etiam finem Spiritum sanctum dedit Ecclesiæ suæ Catholicæ (extra quam salus obtineri non potest) vt eam regeret, & in ea vnumquemque fidelem suis cœlestibus donis cōfirmaret, diuinisque impulsibus ad ipsum salutis portū prouheret, vt monendus est, nomine Ecclesiæ significari congregationem Christi fidelium, qui credunt, tenentque quidquid Sancta Romana Ecclesia credit, & tenet. Posuit etiam Sanctorum hominum, sacramentorumque communionem (de quorum, præsertim pœnitentiæ, & Eucharistiæ vsu, quem tunc vsurpare statuit, instituendus est pro ipsius captu) tamquam adiumentum ad peccatorum remissionem, & consecutionem diuinæ gratiæ, quæ est æterna salutis quoddam quasi semen, ex quo prouenit æterna gloria: non solum animæ, sed etiam corporis restituendi vitæ; iterumque animæ ita sociandæ vt ab ea siue beata fuerit, siue misera, numquam separandum sit. Quibus propositis prudentiæ erit monere

monere ea omnia contineri in Symbolo Apostolorum, quod cum oratione dominica & salutatione Angelica addisci recitarique solet à fidelibus tamquam continens ea quæ communiter debent nobis versari ob oculos, ad fouendum in nobis pietatis, bonorumque operum studium: & ad impietatem vitæque improbitatem aduersandam, iuxta illud ad Titum 2. Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, iuste, & piè, vivamus in hoc seculo; expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

Addi etiam poterit: ad recolendam memoriam 4. mysterij sanctissimæ Trinitatis, bonorum omnium uberrimi fontis, celebrari in Ecclesia diem dominicum, & particulariter illum, qui proximè sequitur Pentecosten. Beneficium autem maximum Christi Incarnationis, ac natiuitatis, gratâ memoriâ recolendum Ecclesiam inculcare, obseruatione solemnitate Annunciationis B. Mariæ, & natalis Domini cum præcedente aduentu. Beneficium verò passionis (cuius representatio est celebratio Missæ,) inculcare obseruatione diei Veneris, & temporis quadragesimalis, & erectionis crucis non modò in templis, sed etiam extra ea in vrbibus, domibus, & agris: mysterij autem resurrectionis Christi (ac nostræ etiam aliquo modo) memoriam inculcare celebratione tum diei dominicæ, tum etiam solemnitate paschali: quibus succedit festum Ascensionis Domini in memoriam mysterij eiusdem Al-

4. Festum gloriosissimæ Trinitatis, & alia festa ad quid instituta.



censionis in cœlum. Futurus porro Christi aduentus ad iudicium, inculcatur simul cum aduentu primo, in quo incarnatus de Spiritu sancto, homo factus est. Beneficium verò Ecclesiæ dari Spiritus sancti, inculcatur obseruatione annua solemnitate Pentecostes. Eiusdem Ecclesiæ vnitas indicatur templo materiali omnibus communi: in quo omnes preces fiunt pro omnibus qui de ea sunt. Sanctorum communio, & remissio peccatorum inculcatur: illa quidem præcipuè celebratione solemnitatis omnium Sanctorum, & festo corporis Domini, ac vsu panis benedicti: hæc verò vsu tum aquæ benedictæ, tum indulgentiarum, tum etiam ieiuniorum, nostra denique resurrectio, & vita æterna inculcantur: illa quidem solemnitate paschali, vt iam attigimus; conseruatione reliquiarum Sanctarum: & vsu cœmeteriorum institutorum ad religiosam sepulturam defunctorum: hæc verò celebratione adhuc festorum Ascensionis Domini, & omnium sanctorum ac supplicationum, & cantuum lætitiæ in Ecclesia.

*Ratio informandi paucis eum qui nescit spectantia ad viam salutis.*

#### SECTIO POSTERIOR.

**C**Um proposita ignorantia, coniuncta est aliorum, quæ spectant ad salutis viam, cui remedium aliquod adhiberi consentaneum est, antequam pœnitens ea laborans dimittatur: quod videtur sic paucis fieri posse, cum non datur tempus agendi pluribus.

Primò

Primò inculcandum est aeternam salutem, ad quam aspirat, non contingere, nisi facienti voluntatem Dei, iuxta illud Matt. 7. *Qui facit voluntatem patris mei qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum.* Quænam autem sit Dei voluntas, quam facere oportet, declarari mandatis de quibus in cap. 19. D. Matthæi dicitur: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: paucis autem comprehensam haberi verbis illis Michææ. c. 6. Indicabo tibi o homo, quid sit bonum, & quid requirat Dominus à te: utique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Quibus verbis significatur voluntatem Dei esse, vt vitam agamus respectu quidem nostri in ieiunio, seu mortificatione concupiscentiæ nostræ, quæ cum conceperit parit peccatum, Iacob. 1. Id enim est facere iudicium, tollendo scilicet ei licentiam, quam contra ius fasque sibi ea sumit, dum in prosecutione iucundi, aut fuga molesti excedit rectos rationis limites. Respectu verò proximi in eleemosyna, qua is iuuetur in sua necessitate: hoc enim est diligere misericordiam. Respectu denique Dei in oratione seu deuotione, qua totum in eum feramur: quod est *sollicitum ambulare cum Deo.* Addi poterit: charitatem, Dei que amicitiam (cui vt restitueretur ipse ad Sacramentum Pœnitentiæ merito accessit, cum sine ea vitâ aeternæ salutis meritum agere nequeat) talia exigere: mortificationem quidem concupiscentiæ, quoniam hæc illi aduersatur, tamquam fomes omnis peccati mortalis, per quod charitas ipsa extinguitur; auxilium verò proximi, quoniam eadem charitas de se nata est parere proximi compassionem sicut & amorem: deuotionem denique erga Deum, quia eadem adhuc

Eterna salus non datur nisi bonum facienti.

ex priori ad Corinth. cap. 13.





charitas, nata est eleuare ad Dei amoré supra omnia, & consequenter ad promptitudinem seruiendi ei in omnibus: in quo consistit deuotio.

Det ergo operam, caueatque ne in ipso vigeat, aut concupiscentia siue voluptatis, siue curiositatis, siue vanitatis (quarum prima *concupiscentia carnis*, secunda *concupiscentia oculorum*, & tertia *superbia* *vita* dicitur prima Ioan. 2.) aut peruersa voluntas erga proximum: aut negligentia in seruitio Dei. Viget autem concupiscentia voluptatis, in gulosis, & in luxuriosis, ad quos reuocantur qui mollibus vestiuntur. Concupiscentia verò curiositatis, in curiosis & auaris: quorum illi nimis appetunt scire occulta; & videre pulchra; hi verò habere chara. Concupiscentia demum vanitatis in superbis: in quibus viget nimius appetitus fauoris laudis, & honoris. Quibus omnibus inculcanda sunt verba Eccles. 18. *Post concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua auertere. Si praestes animae tuae concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis.* Quae verba ostendunt non modò consentiendum non esse concupiscentiis: sed etiam in primo earum motu repellendas esse, iuxta illud in sequen. cap. 21. *Quasi à facie colubri fuge peccatum. Peruersitas verò voluntatis erga proximum, viget.* Tum in iracundis, maleuolentiam, quam intus gerunt in animo prodeuntibus externis, verbis iniuriosis, seu maledictis actibus vindicatiuis, signis in facie, gestibus, & clamoribus. Tum in inuidis, dolentibus de prosperitate, & gaudentibus de infortunio proximi, negligentia denique praedicta, viget in acediosis, torpentibus in Dei seruitio, raro, aut sine debita reuerentia, & attentione orantibus, vel Missam audientibus. leuitérque

leuiterque tantum se ad Sacramenta Pœnitentiæ,  
& Eucharistiæ parantibus.

Commendanda demum est saluberrima memoria præsentis Dei, tanquam actionum nostrarum præsentis testis: qui idem nos misericorditer, nunc sustinens, erit postea seuerus Iudex, faciens reddere rationem vsque ad nouissimum quadrantem: ad cuius tribunal progressio quædam est & accessus, vita nostra: vnde ea debet ita institui vt illum habere possimus placatum; ne nobis conueniat, quod ab ipso Christo dictum est de Iuda *d, bonum esset ei si natus non fuisset homo ille.*

D. Matth.  
cap. 26.

Monere adhuc potest de detrimentis, quæ accipiuntur relicta via salutis; & de ratione qua possunt reparari tenendo eamdem viam. Per peccatum igitur recedendo à via salutis, detrimenta accipiuntur, non modò à peccatore ordinariè; sed etiam à proximo multoties: à Deo autem numquam; iuxta illud Iob 35. *Si peccaueris quid ei nocebis? & si multiplicata fuerint iniquitates tue, quid facies contra eum?* Accepta autem à proximo reparantur per restitutionem: quam iure naturæ tenetur facere, qui illa iniuste intulit; aut si eam facere non potest, recurrere ad Christum. In quo recursu oportet primò detrimenta ipsa illata cognoscere, & nos cum dolore Christo offerre paratos ad qualuis pœnas libenter patiendas eo nomine, quòd per nostram culpam illi, quos sanguine suo redemit, patiantur detrimentum cum aliqua fortè diminutione honoris sui diuini. Secundò tantum de ipsius potentia, scientia, & bonitate credere, & sperare, vt persuasum habeamus, quòd possit, sciat, & velit pro nobis satisfacere; si vt par est, id ab eo per deuotam orationem pe-

7.  
Accepta dâ-  
na iure na-  
turæ repa-  
rare tenetur  
qui intulit.

ramus; quæ faciendæ est adhibitis intercessoribus Sanctis, & reuocatâ in memoriam passione, quæ verè misericors omne subsidium nobis promeruit.

Accepta verò à nobis detrimenta sunt peccati macula, & innumera alia mala, quæ eam sequuntur iuxta illud Psalm. 31. *Multa flagella peccatoris*: ad quorum reparationem contritio (de qua superius) instituitur. Ea enim est pœnitentia de qua Dominus noster Luc. 13. ait, *nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*. Accedit ad eadem mala exiguus valor eorum etiam operum, quæ etsi ex radice diuinæ gratiæ, & charitatis proueniant, idèoque sint æternæ salutis meritoria, ob negligentiam tamen, & tepiditatem nostram, nec nobis tam fructuosa, nec proximo tam proficua, nec Deo tam honorifica sunt quàm deberent esse.

Pro eorum reparatione verò, est recurrendum ad Christum, qui pro infinita sua potestate, & magnificentia, magnificentiâque, ipsis actionibus nostris dare potest quantum volet valorem, suaque acceptatione eas extendere, ad quàm plurimorum utilitatem. Coram illo igitur constituti, humiliter ipsi gratias agamus, de eo quod in iisdem actionibus bonum fuerit, quodque imperfectum in eis est, recognoscamus pudore suffusi, & de tali imperfectione intimè dolentes: concepto pariter magno desiderio tam honoris diuini promouendi, quàm utilitatis proximi procurandæ. Atque ipsas denique nostras exigui valoris actiones, cū ipsiusmet Christi actionibus infiniti pretij offeramus ei: petendo simpliciter per passionis suæ merita, ac Sanctorum intercessionem: vt pro infinita sua benignitate, & misericordia dignetur, quod illis deest supplere, ad  
 ipsius

ipsius gloriam, & nostram, ac proximorum æternam salutem.

CAPVT XV.

De dispositionibus necessarijs in anima ad tenendam salutis viam, à Confessario tamquam spiritali patre inculcandis pœnitenti.

SUMMARIUM.

1. Tales dispositiones præcipue, bona voluntas, coniunctio anima cum Christo, & conatus noster: & in quo dua ille consistant.
2. Noster conatus in quo consistat, quidque requirat.
3. Coniunctio anima cum Christo per fidem, quòdque hac debeat esse recta, magna, & fortis.
4. Coniunctio per spem, quòdque de nobis diffidendum sit, & in Christo confidendum.
5. Tam diffidentia de nobis, quam confidentia in Christo debet esse recta, magna, & fortis: & quomodo.
6. Coniunctio anima cum Christo per charitatem.
7. Ad quam coniunctionem abnegatio sui ipsius, concurrat cum dilectione Christi: tamque illa, quam hac debet esse recta, magna, & fortis; & quomodo.
8. Necessitas proponendi Christum ante conspectum suum ad tenendam viam salutis, & modus, quo id fieri debet.
9. Adiumenta remota ad id faciendum.
10. Adiumenta propinqua.
11. Præcipuum eorum quod est feruere amore Christi, quomodo foveatur exercitio fidei.
12. Quomodo exercitio spei.
13. Quomodo exercitio charitatis.
14. Hu-

In hoc & sequenti cap. conteta, pie Lector, magni facito eo nomine, quòd maxima ex parte sint profecta ab vno ex iis patribus, per quos diuina bonitas dignata est Societatem nostram inchoare.